

W. 36.

73

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
CAUSIS IMPROBATI PACTI HEREDITARII
EX IURE ROMANO.

QUAM
AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS AUCTORITATE
PRÆSIDE
DOMINO
IULIO FRIDERICO MALBLANC
I. U. D. ET PROF. PUBL. ORDIN., SERENISSIMI WIRTEMBERGIAE
DUCIS CONSILIARIO, H. T. DECANO
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES CAPESSENDI
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
AUCTOR
CAROLUS HENRICUS RHEINWALD
STUTTGARDIENSIS
SUPREMI DICASTERII WIRTEMBERGICI ADVOCATVS.

TUBINGÆ D. SEPT. MDCCXCVIII.
TYPIS FUESIANIS.

PRÆFATIO.

Trepidum cum animo in arenam descendo; tractaturus materiam iuris civilis, quæ ingenia ICtorum tantorum nominum in diversas iamiam egit partes, Strykio in Tr. de successione ab intestato, Diff. VIII., I. H. Bæhmero, Leyfero, F. C. Harpprechto, etc. inter reliquam turbam præfulgentibus. Sed quoq; difficilior, quo litigiosior res est, eo magis nostrum est, ut pro virili parte lucem afferre nitamur. Hæc fuit mens mea, hic finis laborum, quod haud inutiliter dixisse videor, qualècunque sint partes mæ juveniles, ne iudicem inveniam, qui ferat sententiam iusto rigidiorem.

Generalia de successione et specialia pactitia.

§. I.

Succedere est locum alterius occupare seu viventis, a) seu defuncti. b) Proprie vero successio accipitur, quæ fit in locum defuncti. Hæc tantum significatio vocis *successionis* meum attingit finem; est ea duplex:

- A.) *Universalis* vel
- B.) *Singularis*.

Prior est acquisitione iuris in re universalis, i. e. in complexu rerum corporalium et incorporalium s. iurij, qui *hereditas* vocatur, tanquam universitas bonorum à *defuncto* relictorum,

A 2

Posterior vero tribuit tantummodo ius in re particulari, (vel earum complexu) quæ defuncti fuit tempore mortis.

- a) L. 2. & 3. ad leg. Iul. maiest. L. 1. §. 13. D. quod legat. L. 24. §. 1. D. de damno infecto &c.
- b) L. 24. D. de V. S. L. 62. D. de R. I. Stryk Tr. de Success. ab intestato Diff. VIII. Cap. I. §. 7.

§. 2.

De successione universalis primum agamus, quasi potiori; hæc fit, ut dictum, per acquisitionem hereditatis, cuius tres notiones diversas proferre liceat. Hereditas est universitas bonorum à defuncto relictorum, (nulla enim datur hereditas viventis, a) quæ omnia iura et obligationes, commoda et incommoda defuncti comprehendit. b)

- a) L. 1. D. de hered. vel act. vend.
- b) L. 119. D. de V. S. L. 178. §. 1. D. eod. L. 20. §. 10. D. de hered. petit. L. 208. D. de V. S.

§. 3.

*Ad acquirendum ius in hac universitate iuris s. Hereditate iure civili modus est comparatus, nempe *acquisitio per Hereditatem*, quæ hic sub altera occurrit significacione atque denotat *Successionem in universum ius, quod defunctus habuit*. a)*

- a) L. 24. D. de V. S. L. 62. D. de R. I.

§. 4.

*Ne vero bona hereditaria sint res nullius à tempore mortis defuncti usque ad tempus aditæ vel repudiæ hereditatis, leges tertio sensu *Hereditatem* intellexerunt, tanquam personam ficticiam, quæ defuncto succedit, eiusque personam sustinet a), donec is, cui hereditas delata est, per aditionem*

eam iacentem b) acquisiverit, atque ita per successionem in universum ius defuncti huius personam representare cœperit.

a) L. 34. D. de acqu. rer. domin. L. 31. inf. D. de hered. instit. L. 22.
D. de fideiussor.

b) L. 13. §. 5. D. quod vi aut elam.

§. 5.

Sed redeo ad primam significationem, quam deditis; Hereditatis (§. 2.), tanquam iuris universi defuncti, quæ commoda et incommoda continet; haec tantum non omnia in heredem transeunt, tanquam unam eandemque personam, quæ defunctus fuit. a) Quoad commoda heres consequitur ipso iure dominium rerum hereditiarum, quamquam ab alio possideantur b), nec non omnia iura et actiones, quæ defunctus habuit c), nisi sint mere personalia, atque tales actiones, quæ cum defuncto expirant. d) Quoad incommoda, obligations defuncti transeunt in heredem, nisi, quæ morte defuncti pereunt. Unde actiones ex obligationibus defuncti oriundæ passim contra heredem competit. e) Sic intuitu æris alieni à defuncto vel ab hereditate contracti creditoribus hereditariis obligatur f), nisi quod heres, inventario rite confecto, ultra vires hereditatis non teneatur, ex speciali beneficio Iustiniani. g)

a) L. 3. pr. D. de bon. possess. Nov. 48. in pref.

b) L. 37. D. de acqu. vel omitt. hered. L. 14. C. de iure delib. L. 50.

§. 1. D. de rei vindic.

c) L. 59. D. de reg. iur. L. 23. pr. D. de acqu. vel omitt. possess.

d) Quo pertinent servitutes personales, (Vinnius ad §. 3. I. de usfr. L. 3. L. 12. pr. C. eod.) privilegia (L. 68. L. 196. D. de R. L) atque possessio rerum hereditiarum non nisi facto heredis acquirenda (L. 23. pr. D. acqu. vel amitt. poss. L. 1. §. 3. L. 3. §. 1. L. 30. §. pen. D. eod.)

(6)

- e) L. 12. L. 49. D. de O. & A. §. 1. I. de perpet. & tempor. praeser.
- f) L. 8. pr. D. de acqu. vel omitt. hered.
- g) L. ult. C. de iur. deliber.

§. 6.

Successio hactenus exposita *Universalis* obtinet secundum Ius romanum vel

- I) *Ex testamento a) vel*
- II) *Ex lege f. ab intestato.*

Romani, conditis testamentis, heredes sibi designarunt; quæ testamenta si cessabant, successio ab intestato locum sibi vindicavit, tanquam in subsidium b), dum immediate ex lege per tacitam defuncti voluntatem fluens inde *legitima* vocatur. c)

- a) L. 1. D. qui testam. fac.
- b) L. 39. D. de acqu. vel omitt. hered.
- c) L. 8. §. 1. D. de iur. codic. L. 130. D. de V. S. L. 3. §. 2. D. pro soc. L. 70. pr. L. 77. D. de acqu. vel omitt. hered.

§. 7.

Sed alia adhuc extat successio, nempe *singularis*, quæ non quidem in universum ius (§. 1.) sed in res particulares succeditur, veluti per *fideicommissum singulare*, *legatum* vel *mortis causa donationem*. Successio singularis et universalis longe inter se differunt. —

- 1) Successor *universalis* est iuris successor, quia in omne ius defuncti succedit, successor vero *singularis* non nisi in res particulares succedit, quæ defuncti fuerunt.
- 2) Universum ius defuncti vocatur *Hereditas*, quare successor *universalis* heres est, quod nunquam in *singularem* successorem cadit.

- 3) Successor *universalis* repräsentat defunctum, quia in ejus ius universum succedit, *singularis* contra personam defuncti nunquam sustinere potest, cum hic in re certa repräsentari nequeat. a)
- 4) *Ille*, dum defuncti vices obit, omnia iura, activa et passiva, suscepit, quibus constat hereditas, atque ita nomine obligationum, quibus defunctus vel hereditas (§. 4.) tenetur, creditoribus hereditariis cavere debet; *Hic* (successor singularis) cum heres non sit, non conveniri potest intuitu arii alieni, quod debetur ab hereditate. Quantum operentur hæ differentiæ primariæ, post hæc innoteſcat.

a) Hofaker princ. iur. civ. rom. germ. §. 1295.

§. 8.

Utramque successionem modis iamiam dictis contingere, certissimi iuris est, sed non adeo certum, num Romanis *pa-cia* placuerint, *tanquam modus deferendi utramque successionem iam universalem, quam singularem*; quod ut definitur, opusculi huius finis est.

§. 9.

Primum de pactis super successione initis in genere dicendum est. — Quæ pacta de bonis per successionem universalem vel singulariæ iamiam *acquisitis* ineuntur, prorsus à fine huius instituti aberrant, cum hereditas a) hoc casu iam sit delata, ergo pactum hoc casu non de hereditate *futura* ineatur, in quo tamen cardo rei vertitur. Nam extra dubium est, super hereditate iam *acquisita* quæcumque pacta posse celebrari, scil. emptionem venditionem b), donacionem c) etc. Sed hic agitur de pacto super hereditate *non dum delata*, quod vocatur *successorum* atque definitur, quod de *futura successione vel in universum ius vel in res singulares viventis* ineatur. Unde fluit, summam horum pactorum di-

visionem esse in successoria *universalia* s. hereditaria et *singularia*. Illa primum perscrutari placet, tum ratione indolis eorum, tum valoris ex iuris romani principiis.

- a) qua voce h̄c success. univers. æque ac singularem denotamus:
Hebestreit Vindicæ valoris veri pactor. success. Erf. 1768. Cap. II. §. 10. * II.
- b) Tit. D. de hered. vel act. vend.
- c) L. 28. D. de donat. cf. Hebestreit l. c. Cap. II. §. 10.

Pars I.

De successione pactitia universalis eiusque aestimatione secundum ius Romanum.

Caput I.

De natura atque indole pactorum successoriorum universalium.

§. 10.

Pacta successoria universalia generatim celebrantur vel
I.) *de hereditate propria pacientium vel*
II.) *de hereditate tertii non compacientis.*

Pactum *prioris* generis nonnisi pacientes respicit, qui definunt, quomodo hereditas unius vel alterius vel utriusque pacientis sit deferenda; pactum vero *posterioris* generis de hereditate tertii viventis non compacientis disponit, in causa, quando uni vel alteri pacientium ex testamento s. ex lege fuerit delata, (neque iam *acquisita* (§. 9.))

§. 11.

Pacta, quæ de hereditate propria inveniuntur;
I.) *Affirmativa*
II.) *Negativa seu Renunciatiya*
III.) *Mixta esse possunt,*

§. 12.

§. 112.

Pacta *affirmativa* ea intentione sunt, ut hereditas compa-
ciscens ad quemdam deferatur.

§. 13.

Pacta *negativa* seu *renunciativa* sunt, quæ pacientem here-
ditate alioquin sibi obvenura privant; neque dicendum, omni
pacto successionis renunciativo inesse pactum *affirmativum*;
quanquam enim hereditas, cui quidam per pactum *negati-
vum* renunciavit, ad alium deferatur, qui eam sine hoc pa-
cto haud adquisivisset, hic tamen hereditatem non acquirit
ex pacto, sed aliunde vel ex testamento vel ex lege. a)

a) Hebestreit I. c. Cap. II. §. 14. Stryk Tr. de successi. ab in-
test. Diff. VIII. Cap. 4. §. 2. Diff. Hofaker I. c. §. 1393.

§. 14.

Mixta denique nostra quidem sententia sunt pacta, quæ
ita ineuntur, ut unus hereditati alioquin ipsi obvenurae renun-
ciet, alter vero, cuius hereditati primus renunciavit, promittat,
tertio consentiente, se hereditatem ei delaturum esse. Tale pactum
neque mere *affirmativum* est, cum contineat renunciationem
ab una parte factam, neque mere *negativum*: quamquam enim
pacti *negatiyi* hæc est natura, ut unus renunciet, tertius ve-
ro, in cuius favorem renunciatum est, hereditatem acquirat,
hic tamen eam non acquirit vi pacti, cui non accessit, ita ut
is, de cuius hereditate agitur, eam invitus quoque præstare
deberet, (quod tamen in nostro casu pacti mixti obtinet), sed
vel ex testamento vel ex lege, uti dixi in §. præced.

§. 15.

Primum enumeravimus pacta *affirmativa*, hæc vel
1.) *acquisitiva* vel
2.) *restitutiva* vel
3.) *dispositiva* esse possunt.

B

§. 16.

Acquisitiva pacta sunt, si unus pacifcentium sese obstringit, ad deferendam alteri pacifcentium hereditatem suam. Pacta, quæ vocant *conservativa*, vulgo *acquisitiva* contra distinguntur, sed nulla dari pacta *conservativa*, et omnia pacta, quæ sic appellantur, esse mere *acquisitiva*, non difficile videtur probatum. Pactum *conservativum* vulgo dictum intelligitur, quando unus pacifcentium *ius successionis* ipsi aliunde iam competens per pactum sibi conservat. Sub personis, quibus *ius succedendi* aliunde iam competere aint, tales intelliguntur, quos lex ad successionem ab intestato vocat. Sed hi ab intestato successorum nullum adhuc *ius* habent, vivo eo, de cuius hereditate agitur. Ius enim in hereditatem non prius acquiritur, nisi hæc sit delata f. ex testamento t. ex lege. Delatio enim *ius* successorum tribuit a). Hereditas vero non defertur, nisi mortuo eo, de cuius successione agitur; cum enim nulla sit hereditas neque successio viventis b) statim apparet, talem non posse deferrri.

Neque iis, quibus *legitima* competit, *ius* in hanc prius nascitur, quam mortuo eo, de cuius bonis debetur, cum sit iure novo pars hereditatis. c) Quare cum *nullum ius in hereditatem viventis existat*, nescio, quomodo *tale competere possit*, quod vero non competit, conservari nequit. Inde sequitur, ab intestato successorum, si pactum successorum ineat, *ius* in hereditatem alterius non conservare, sed potius *novum acquirere*, nulla igitur dari pacta *conservativa*. d)

a) L. 21. §. 2. D. de acqu. vel omitt. hered. Lauterbach Coll.

Theor. Pr. ad h. t. D. §. 9. Bardili D. de hereditat. adit. §. 43, nr. III.) & §. 45.

b) L. 1. D. de hered. vel act. vend. L. 25. §. 6. L. 27. L. 32. pr. D. de aqu. vel omitt. hered. Hofaker l. c. §. 17/12. munim.

c) Nov. 115. c. 3. pr. Hofaker l. c. Stryk l. c. Cap. II. §. 9. inf. Lauterbach ad tit. D. de inoff. testam. §. 44.

d) Hofaker l. c. §. 1394. not. a.)

Pacta restitutiva (§. 15.) sunt duplicitis generis.

a) coniuncta cum *acquisitiis*, si unus pacientium alteri hereditatem suam ita prominit, ut alter tertio eam restituat,

b) simpliciter talia, si unus pacientium alteri promittit, se hereditatem huius, quando ex testamento vel ex lege sibi obin-
gat, tertio restiteturum.

§. 18.

Pacta dispositiva (§. 15.) denique sunt, si unus pacificen-
tium alteri promittit, se suam hereditatem ad quendam tertium
delaturum. a)

a) Huiusmodi pacta inter restitutiva referri solent, sed valde impro-
prie, cum iis nihil detur, quod acceptum est, ergo nihil restitu-
tur. Hofaker l. c. §. 1394. not. b. nr. 2.

§. 19

Pactis negativis f. renunciativis (§. 13.), nec non pactis mixtis (§. 14.) nullam omnino divisionem recipientibus, quæ hoc quadret, transeo ad pacta,

II) quæ de hereditate tertii non compacifcentis sunt, in casum, quando uni vel alteri pacifcentium, ex testamento vel ex lege effet delata. Differunt hæc pacta ab acquisiutis, quoniam hic ex pacto non succeditur, atque, ut hereditatis ex alio fundamento iam delatae, sed nondum acquisiutae (§. 9. et 29.) certus modus observetur, sola intentio pacifcentium est; quod tribus modis fieri potest, unde sequitur, hæc pacta esse posse tripli generis.

I) restitutiva: si unus pacifcentium promittit, se hereditatem, quando ex testamento vel ex lege sibi foret delata, alteri pacifcentium vel tertio cuidam *restituturum* esse;

- 2) *dispositiva*, si unus paciscentium alteri promittit, se de hereditate fibi ex testamento vel ex lege delata *certa dispositurum*; et tandem
- 3) *negativa*; si unus paciscentium alteri promittit, se hereditatem ex testamento vel ex lege fibi delatam *repudiaturum esse*.

Cap. II.

*De aestimatione pactorum successoriorum universalium,
et de rationibus, quæ validitatib[us] eorum obstant.*

§. 20.

Transeo nunc ad quæstionem de valore pactorum de successione universalí initorum, qualem ius romanum iis præbuerit vel denegaverit.

Ex divisione (§. 10.) prima facie sese offerunt

I) quæ de hereditate *propria* paciscentium sunt, et quidem I) ex *affirmativis* (§. 12.)

1) *acquisitiva* pacta, à quibus exordiri fas sit. Plures de his extant leges a), quibus omnibus talia pacta indistincte reprobantur atque damnantur, quippe quæ nec obligandi vim habeant b), nec actionem producant. c) Non attendendum est, complures ICtos, validitatem eorum quodammodo vindicare studuisse, quorum tamen errores valde perspicui sunt. d)

a) L. 6r. D. de V. O. „*Stipulatio hoc modo concepta: Si heredem nec non feceris, tantum dare spondes? invitis est; quia contra bonos mores est (hæc stipulatio).*“ L. 15. C. de pact. „*Pactum, quod dotali instrumento comprehensum est, ut si pater vita fungeretur, ex æqua portione ea, quæ nubebat, cum fratre heres patris sui esset: neque ullam obligationem contrahere, neque libertatem, testamenti faciendi mulieris patri potuit an-*

„ferre.“ L. 25. C. de transact. „Si maiores viginti quinque
 „annis cum patruo sive avunculo vestro transegistis, vel ei de-
 „bita donationis causa sine aliqua conditione remisistis: non id
 „circo, quod hoc ejus hereditatis captandae causa, id est, spe
 „futurae successionis vos fecisse proponatis, aliis ei succendentibus
 „instaurari finita debent.“ L. 34. C. de transact. „Cum dona-
 „tionis seu transactionis causa administratæ tutelæ debiti scientes
 „vos obligationem fratri vestro remisisse proponatis, nec unquam
 „volentibus dolus inferatur; frustra de dolo querimini: Nec ad
 „implendum promissum hereditatis propriae pollicitatione quis-
 „quam adstringitur.“ L. 4. C. de inutil. stipul. „Ex eo instru-
 „mento nullam vos habere actionem, (in quo) contra bonos
 „mores de successione futura interposita fuit stipulatio, manife-
 „stum est, cum omnia, quæ contra bonos mores vel in pactum
 „vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sint.“ L. 5.
 C. de pact. convent. tam super dote &c. „Hereditas extraneis
 „testamento datur. Cum igitur affimes, id tali instrumento pac-
 „tum interpositum esse vice testamenti: ut post mortem mulieris
 „bona eius ad te pertinerent, quæ dotis titulo tibi non sunt ob-
 „ligata: intelligis, nulla (te actione) posse convenire heredes
 „seu successores ejus, ut tibi restituantur, quæ nullo modo
 „debentur.“
 b) d. L. 15. C. de pact.
 c) d. L. 5. C. de pact. convent. d. L. 4. C. de inutil. stipul.
 d) Evolve si lubet, Hebestreit D. cit. Cap. III. §. 22. 23. 24. 25.
 Stryk de succ. ab intest. Diff. VIII. c. XII. §. 19-27. Peyer
 Diff. de success. coniug. ex pacto. Cap. I. §. 13. seq.

§. 21.

Sed quenam fuere rationes, quibus moti Legislatores
 Romani haec pacta proscripterunt? Per multæ ICtorum con-
 iecturæ hinc exstant, quas persequi ex re erit. Omnes fere
 redeunt ad quatuor primarias, scil.

- 1) *Non nisi lege posse succedi, nec ius publicum successionis pactis privatorum posse mutari;*
- 2) *Votum mortis captandae ejus, qui hereditatem promisit, inde oriri;*
- 3) *Pacifcentem libertate testamenti-factionis privari;*
- 4) *Pacta successoria esse contra bonos mores, ergo nulla.*

§. 22.

Singulas inquiramus. —

1) Sicuti certi sunt modi, acquirendi dominium rerum singularium, ita et certus modus per universitatem acquirendi proditus est, sc. Lex, dando successionem tum immediate ab intestato, tum mediate per testamentum, quippe quod legibus XII. tabularum legis iurisque publici nomine venit in iure nostro. a) Testamentum passim legis iurisque publici nomine venit in iure nostro. b) Adde, quod testamenta olim tanquam leges à populo Romano in comitiis calatis fuerint condita. c) Testamentum igitur, quum sit lex, ex lege omnis successio pròdit, atque ita iuris publici est; ius vero publicum pactis privatorum mutari non posse, constat d), ergo nulla successio pactis datur. e) Quæ omnia, quamvis prono alveo fluant, exinde tamen non appareat ratio ipsa, ob quam Romani non nisi iliam successionem iuris publici esse iudicarunt.

a) „Paterfamilias, uti legassit (legem dixerit) super pecunia tutelave „fusæ rei, ita ius esto (ita pro lege observetur).“

b) L. 130. D. de V. S. L. 3. D. qui testam. fac. poss. L. 1. pr. D. ad leg. Falc. L. 2. pr. D. testam. quemad. aper. L. 14. D. qui testam. facere poss.

c) §. 1. I. de testam. ordin.

d) L. 38. D. de past. L. 15. §. 1. D. ad leg. Falcid. L. 16. D. de suis & legit. hered. L. 20. pr. D. de religiosis &c. L. 1. §. 9. D. de magistr. conv.

e) Hebestreit l. c. Cap. IV. §. 48.

§. 23.

2) *Votum mortis captandæ ejus, de cuius successione agitur, inde oriri, contenditur, quoniam, qui ex pacto successendi ius quæsivit, obitum promittentis optare præsumitur, quo citius bonis potiatur.* a) Haec ratio pactis acquisitivis minime obstat videtur, quia eadem spes, alterum moriturum, eadem sollicitudo improba de bonis alterius in successione testamentaria, legitima, præfertim in substitutione pupillari occurrere potest, quod tamen non impedit certissimi juris est, quo minus omnia haec mortis causa negotia sint jure permitta: si igitur pacta acquisitiva hac ex ratione essent prohibita, hoc pertineret ad omnia cetera negotia, ex quibus votum mortis captandæ alterius possit oriri, quae tamen nihilominus iusta esse, diximus, ut alia prætermittam argumenta, quibus idem probant Hebestreit b) et Strykius. c)

a) cf. L. 2. §. 2. D. de vulg. & pup. subft. L. 27. §. 4. D. ad SC. Trebell. L. ult. C. de pact. L. 1. §. 27. D. de collat. Stryk l. c. Cap. XII. §. 2. Peyer l. c. Cap. I. §. 24. Donellus ad Leg. 15. C. de pact. Streker D. de doctrina success. pactit. membr. I. §. 6. Leyser Medit. ad D. spec. 43. med. 1. 2.

b) Hebestreit l. c. Cap. IV. §. 47. 52.

c) Stryk l. c. Cap. XII. §. 9. & imprimis §. 28.

§. 24.

3) *Pactis successoriis acquisitivis libertas testamenti factio- nis adimitur;* Si enim successor universalis s. heres per pactum fit constitutus, ei, qui hereditatem suam promisit, non

plius licet, testamento heredem scribere, cum alias pro parte *testatus*, pro parte *intestatus* decederet, quod iure reprobatum est. a) Libertas ergo testamenti factionis tali auffertur, qui heredem per pactum constituit, a quo non amplius resilire potest. b) Cum vero libertas ultimorum iudiciorum nullo modo constringi possit, quippe quod per leges non licet c), pro no fluit alveo, pactum, quod hoc operatur, omnimodo *invile* esse. d) Haec est ratio vera, quae pactis hereditariis acquisitivis obstat, *intuitu ejus, qui hereditatem promisit*; sed exat adhuc altera, quae *intuitu heredis pacitii* illa pacta damnat. (§. 28. seq.)

a) L. 7. D. de R. I. „Ius nostrum non patitur eundem in paganis „& testato & intestato decessisse earumque rerum naturaliter inter „se pugna est.“

b) L. 5. C. de O. & A.

c) L. 52. §. 9. D. pro soc. „Idem respondit, societatem non posse ultra mortem porrigi; & ideo nec libertatem de supremis iudicis in *constringere quis poterit*, vel cognatum ulteriorem proximioribus praeferre.“ L. 15. C. de pact. „Pactum, quod dotali instrumento comprehensum est, ut, si pater vita fungeretur ex æqua portione ea, quæ nubebat, cum fratre heres patris sui esset, neque ullam obligationem contrahere neque libertatem testamenti faciendi mulieris patri patuit aufferre.“

d) L. 61. D. de V. O. L. 4. C. de inutil. stipul.

§. 25.

4.) Ultimam denique rationem, cur pacta acquisitiva Romanis displicerint, hanc allegant ICti: „esse contra bonos mores, a) i. e. contra honestatem tam naturalem iuris gentium quam civilem iuris Romani. Ulpianus hanc distinctionem tuerit in L. 42. D. de V. S. æque ac Antoninus in L. 6. C. de pact. Quid vero contra bonos mores sit, et quales hi sint, vario sensu deprehendere licet in L. 15. Dil de condit. instit., quæ loqui-

loquitur de pietate, existimatione, verecundia, tanquam bonis moribus b).

- a) L. 61. D. de V. O. L. 4. C. de inutil. stipul.
- b) L. 1. §. 7. D. deposit. L. 35. §. 1. D. de V. O. L. 14. §. 1. D. soluto matrim. L. 29. §. 2. D. de donat. Exempla sunt in L. 26. 27, & 123. D. de V. O.

§. 26.

Sed pacta acquisitiva, quanam mente contra bonos mores sunt? Libertatem vel facultatem testandi pacto impediri vel plane auferri, quod bonis moribus saltem iuris civilis contrariatur, prohibentis, ne ultima iudicia constringantur, ait Stryk a); sed hanc rationem plane eandem esse, quam §. 24. exposui, abunde liquet.

- a) l. c. Cap. XII. §. 33.

§. 27.

Alia sententia est Hebestreitii a) flatuentis, ideo pacta acquisitiva esse contra bonos mores, quod receptis Romanorum moribus adversentur; quippe qui successionem non per pacta, sed vi legis fieri praecipiunt; haec quoque ratio plane adducta in §. 22. coincidit; inde sequitur, alia interpretatione indigere verba: „quod contra bonos mores“, quam quæ illis placuit scriptoribus.

- a) l. c. Cap. IV. §. 51.

§. 28.

Quantum pondus, quantusque valor rationi (§. 24.) expositæ insit, ad infirmanda eliminandaque pacta successoria acquisitiva ex Romanorum disciplina, ea nihilominus parum sufficiens mihi videtur cum alia adhuc existat ratio, que his pactis obstat ratione eius, qui debet esse heres ex pacto. ICti alii has, alii illas rationes quam maxime urgent, ita ut He-

C

bestreit a) in ratione, „successionem nonnisi iuris publici esse“ totus requiescat (§. 22.), ceteras omnino negligens, Stryk b) contra duabus infistat rationibus: scil. „pacto hereditatem non dari (§. 22.), nec licere libertatem testandi reddire, stringere“ (§. 24.) Ego quidem quartam rationem „pacta acquisitiva esse contra bonos mores, ergo nulla“ pro virili parte tueor tanquam principem omnium, dum, quo sensu hæc pacta contra bonos mores pronunciari mihi videntur, explicandi periculum faciam.

a) I. c. Cap. III. §. 48.

b) I. c. Cap. XII. §. 28 seq. - 34.

§. 29.

Si successio datur pacto, quando sc. is, de cuius hereditate agitur, cum alio pactus sit, se suam hereditatem huic relictum, hunc vero suum fore heredem, ille promissor hereditatem invitum quoque prestare debet (§. 24.), hic vero, qui hereditatem sibi stipulatus est, ex pacto omnino obligatur, ad eam adeundam; immo eam ipso pacto adiit; nam in hereditate pactitia delatio et acquisitio unico actu absolvuntur a). Errant quippe, qui afferunt: per pactum successorum acquisitivum eum, cui hereditas ex pacto defertur, ius tantum acquirere, nullam obligationem suscipere, quemlibet vero iuri in suum favorem introducto renunciare posse, ergo hereditate pactio licere, hereditatem delatam repudiare. Quod longe fecus est: *obligatio enim adeundi hereditatem respondet iuri succedendi in eam per pactum-quaestio;* cum alias non intelligi posset, cur promissor hereditatis se se obstrinxerit, si nulla obligatio ex altera parte nasceretur, nullumque commodum inde ei proveniret. Defuncti enim maxime interest, ut habeat heredem b). Quodcum ita sit, *heres pactius hereditatem non repudiare potest;* obligationi enim semel quæsitæ nemo renunciare potest c); Pacta quippe et contractus, sicuti ab initio

funt voluntatis, ita ex post facto funt necessitatis, ita ut unius
dissensu revocari amplius nequeant d).

- a) Hofaker l. c. §. 1431. not. a)
- b) L. 6. D. de interrog. in iur. §. 1. I. quibus ex causis manum.
- c) L. 5. C. de O. & A.
- d) d. L. 5. C. de O. & A.

§. 30.

Omnis heres tanquam iuris successor defunctum repre-
sentat, atque ita in omnia huius iura et obligationes succedit
(§. 5.); cum vero hereditas, quæ damnum infert adeunti,
non minus sit hereditas, quam, quæ lucro afficit a), (quod
ex notione hereditatis fluit), is quoque *heres* intelligitur, qui
damnofam hereditatem amplexus nihil acquirit, unde credi-
toribus hereditariis satisfacere possit: nihilominus autem his
obligatur tanquam heres, licet hereditas revera solvendo non
sit b). Immo hereditas omnis solvendo videtur, quam heres
adiit, quæque heredem invenit c). Ergo *heres pactius*, cum
sit heres quodammodo necessarius (§. præced.) *damnosissimam he-
reditatem adire et omne æ alienum solvere tenetur.*

- a) L. 119. D. de V. S. „Hereditatis appellatio sine dubio continet
„etiam damnofam hereditatem; iuris enim nomen est, sicuti
„bonorum possesso.“
- b) L. 8. D. de acqu. vel. omitt. hered. „Hereditas autem, quin
„obliget nos æri alieno, etiam si non sit solvendo, plus quam
„manifestum est.“ L. 22. §. 14. C. de jur. deliber. „.....
„omnibus in solidum debitis hereditatis teneatur (sc. Heres), &
„non secundum modum patrimonii, sed etiam si exiguis sit cen-
„sus hereditatis, tamen qua si heredem eum in totum obligari.“
L. 3. pr. D. de bon. poss. L. 7. C. de hered. act. L. 33. D.
solut. matrim. L. 10. C. de iur. delib.

c) L. 3. D. ad leg. Falcid. L. 36. D. de bon. libert. Bardili de
aditione heredit. §. 51.

§. 31.

Sed obiciatur forte: heres pactius, etiamsi talis sit cum necessitate adeundi hereditatem vi pacti, (§. 29.) tamen ad beneficium inventarii confugere potest, quod cavit, quominus ultra vires hereditatis teneatur. Heredem tum testamentarium, tum legitimum hoc iure uti, plus quam manifestum esse, respondeo, *sed quod competit heredi etiam pactio, nolim affirmare.* Neque enim beneficium inventarii ita in substantiam hereditatis ingreditur, ut nullus heres cogitari possit, nisi hoc beneficio gaudens, cum Divus Gordianus tantum militibus id concesserit, quasi singulari ex benevolentia a), et Iustinianus demum id extenderit ad reliquos heredes, qui ante eum hoc favore plane caruerunt b). Quare nunquam presumi potest, *quod competit, ubi specialiter non datum est.*

a) Vinnius ad §. 5. I. de hered. qualit. & differ. nr. 5. 6.

b) I. ult. C. de iure delib.

§. 32.

Unde constat, heredem pactium talem esse necessarium ac sine beneficio inventarii; ergo hereditatem qualemcumque, invitus quoque, adire et alicui alienum solvere tenetur, etiamsi vires hereditatis longe supereret. Quod cum ita sit, quid, quæso, obstat, quominus promissor hereditatis omnia sua dilapidet bona, atque ære alieno obrutus decedat, spe certa fretus, se habiturum heredem ex pacto, cui non electio est, hereditatem adeundi nec ne? Talem heredem *dolo malo* defuncti esse deceptum, nemo ibit inficias. Hic vero dolus malus non extrinsecus accedit negotio, quod in aliis pactis vel contractibus fieri potest, ita ut negotium ob dolum malum possit rescindi, *sed potius ipsi pacto successorio ineſt naturamque*

eius ingreditur; nam promissor hereditatis, quamquam dolo malo egerit, contra pactum tamen non peccavit, cum nihil promiserit, nisi, hereditatem se relicturum esse. Hanc vero reliquit, nil refert, num sit lucrosa, an damnsa; qualisunque fit, attamen hereditas est. (v. §. 30.) Pactum vero, cuius natura dolus inesse potest, tacitam conventionem de futuro dolo non praestando continet; talis conventio autem, seu expresse, seu tacite inita, contra bonos mores est, ideoque ipso iure nulla. a) Cum vero pactum successorium acquisitivum tacitam conventionem de futuro dolo malo non praestando contineat, contra bonos mores, ergo nullum b) est pronunciandnm.

a) L. 1. §. 7. D. depos. „*Illud non probabis, dolum non esse praestandum, si convenerit; nam haec conventio contra bonam fidem, contraque bonos mores est, ideoque nec sequenda est.*“

b) L. 6. C. de pact. „*Pacta, quae contra leges constitutionesque vel contra bonos mores sunt, nullam vim habere, indubitate juris est.*“

§. 33

Transimus nunc ad secundam speciem pactorum affirmativorum universalium, que de hereditate propria pacientium celebrantur, sc. ad pacta restitutiva (§. 17.) de quorum valore jure romano agendum. Haec pacta, uti dictum, dispensantur in duas species, unam eorum,

a) quae cum acquisitivis conjuncta sunt (§. 17. nr. a.) et alteram, b) quae simpliciter restitutiva audiunt (§. 17. nr. b.)

§. 34

Utrumque genus pactorum invalidum est. Quod ad prius attinet, ut hoc effectum sortiatur, opus est, pactum principale, cui innititur, valeat; hoc vero omnino invalidum est (§. 32.), quare, quod sequitur, pactum, tanquam excesso-

rium, corruente principali, nullius momenti esse non potest
non. a)

a) Hofaker l. c. §. 1399. Hebestreit l. c. Cap. III. §. 29.

§. 35.

Quod ad posterius pactum (sc. *simpliciter restitutivum*) attinget, hoc *acquisitivo* pacto non innitur, cum agat de restituenda hereditate, non *ex pacto*, sed *ex testamento vel lege* delata et *acquisita*. Hoc vero discrimen non operatur tanto-pere, ut de probatione nullitatis eius desperemus.

I) Si enim duo fuerint pacti, ut unus hereditatem alterius ex testamento vel lege sibi delatam tertio restituat, in pacientis arbitrio sane positum est, hereditatem adeundi vel repudiandi a), cum ex testamento vel ex lege, *neutiquam vero ex pacto* sit delata (in quo differt haec secunda species pactorum restitutivorum à priori (§. anteced.)). Pendet igitur plane ab arbitrio pacientis huiusmodi pacti efficacia, cum, repudiata hereditate, nulla eius restitutio fieri possit. Si vero existentia obligatiovis in arbitrium eius posita sit, qui ex pacto obligari debet, pactum inutile est. b)

II) Secunda ratio, quæ validitatib⁹ eiusmodi pacti restitutivi obstat, hæc est: Etiamsi paciens adierit hereditatem cum animo eam tertio restituendi, ipsius tamen pacientis non interest, ut pactum impleatur; nihil enim lucratur, qui omne, quod accepit, restituere debet. Nullum vero ius ex pacto aliorum tertio non contrahenti acquiritur c), nisi pacientis interfit, hoc fieri. d) Quæ principia, si applicentur ad pactum restitutivum, statim apparebit inutile: cum enim pacientis haud interfit, restitucionem fieri, tertius ex tali pacto nullum ius adquireat. Pactum vero, quod in favorem tertii introductum est, nullius est momenti, si tertio inde nullum nascatur ius.

- a) §. fin. I. de hered. qual. & differ. Hofaker l. c. §. 1435.
- b) L. 108. §. 1. D. de V. O. „Nulla promissio potest consistere,
„quæ ex voluntate promittentis statum capit.“ L. 8. D. de O.
& A. „. . . pro non dicto enim est, quod dare, nisi velis,
„cogi non possis“ Hofaker l. c. §. 1757.
- c) L. 11. D. de O. & A. L. 38. §. 17. D. de V. O. §. 4. & 18.
I. de inutil. stipul. & ad h. §. Vinnius in Commentario.
- d) §. 19. I. de inutil. stipul. L. 38. §. 20. D. de V. O., quoniam
cum nostra interest, tertio dari, non tam huic, quam nobis ipsis
stipulari videmur. Vinnius ad d. §. I.

§. 36.

Alii alio modo nullitatem pactorum *restitutivorum* probare tentant, inter quos eminet Bæhmer a) et Hebe-
streit. b) Allegant in hunc finem L. 38. §. 7. D. de leg. 3.
„Mater filios heredes scriperat, et adiecit, prædia, quae ad
„eos ex bonis meis perventura sint, nulla ex caussa abalie-
„nent, sed conservent successioni suæ, deque ea re *sibi in-*
„*vicem* caverent. Ex his verbis quæsum est, an prædia
„per *fideicommissum* relicta videantur? Respondit, *nihil de*
„*fideicommisso proponi*... Hæc verba legis pactis *restitutivis*
neque obelle, uti existimant ICti laudati, neque iis proban-
dis inservire mihi quidem videntur. Ad constituendum *fidei-*
commissum nulla applicantur verba imperativa, quibus fidu-
ciarii obstringantur, ad voluntatem supremam adimplendam,
sed *fideicommittens* rogat heredem, ut hereditatem vel eius
partem tanquam *fideicommissum* restituat, ita ut nuda ver-
ba *fideicommittentis* sufficient, ad obligandum fiduciarium,
ut stet supremo iudicio. c) Quod secus est in d. Lege: Ma-
ter enim filios heredes non rogavit, sed constringere voluit
præcepto, prædii non alienandi, sed successioni eorum con-
servandi. Recte igitur ait Scævola, *de fideicommisso ni-*
hil proponi, quoniam in *casu* *proposito* verba *precativa*

deficiunt. d) Sed non video, quomodo Bœhmer inde, quod nullum fideicommissum in d. Lége contineatur, concludere possit: „Ergo etiam tanquam aliud negotium non valeat id, quod mater egit inter filios, nihil de fideicommisso proponi, ait enim Bœhmer, ergo nullam existere obligationem, cautionem iniunctam præstandi.“ Potius pactum successorum restitutivum adesse prima facie videtur, quod Harpprecht e) et Stryk f) inde probare student, dicentes: quoniam duplex obligatio filiis heredibus in calu nostro fuit nata, una ex ultima voluntate matris, altera ex cautione iniuncta, fideicommissorum natura non fuit servata, quæ pactum super eo haud exigit, quod ex voluntate suprema iam debet; notissimos igitur terminos fideicommissorum mater fideicommittens est egressa, dum cautionem insuper iniunxit. Prædia igitur non debentur ex voluntate matris fideicommittentis, sed ex cautione; adesse igitur fideicommissum conventionale, concludunt. Sed, ut nullum fideicommissum adest, ita nullum pactum restitutivum in l. cit., si proprius perpendas, reprehendi potest, sed potius legatum descendantibus relictum g) cum prohibitione alienandi h), de qua observanda heredes sibi invicem caverent. Scævola: nihil proponi de fideicommisso, et nos: „nihil de pacto restitutivo..“

- a) In D. de fundamento pactorum famil. ad fideicomm. inclinant, Cap. I. §. 12.
- b) l. c. Cap. III. §. 33.
- c) §. I. I. de fideicomm. hered. Hofaker l. c. §. 1399. not. e).
- d) Hebestreit l. c. Cap. III. §. 30.
- e) In D. de fideicomm. convent. §. 9.
- f) l. c. Cap. IX. §. 10.
- g) l. 22. C. de leg. „In Annalibus legis & fideicommissis, quæ testator non solum certæ personæ, sed & ejus heredibus præstari

„stari voluit, eorum exactionem omnibus heredibus & eorum
heredum heredibus servari pro voluntate testatoris præcipimus.“

b) Quæ quippe per ultimam voluntatem facta omni modo valet;
cf. Hofaker l. c. §. 890.

§. 37.

Neque valorem pactorum restitutivorum adstruere pollet
Harprecht a) ex L. 3. C. de donat. quæ sub mod. Lex
hæc non agit de hereditate per successionem universalem vi
pacti tertio restituenda, sed nonnisi de pacto super re singu
lari tertio post tempus restituenda, quo non iuris, sed tan
tum singularis successio tribuitur (v. infr. P. II. §. 60).

a) l. c. §. 9. nr. 45.

§. 38.

Non magis movet in contrarium fideicommissorum ta
ctiorum exemplum, quæ Harprecht l. c. et Stryk a) tan
ti habent momenti. Ea nobis non obstare, valde evicit il
lusfr. I. H. Böhmer. b)

a) l. c. §. 4.

b) l. c. §. 9.

§. 39.

Sequuntur pacta *dispositiva* (§. 18.), tanquam ultima
species pactorum universalium affirmativorum de hereditate
propria. Hæc pacta non minus ac priora, invalida sunt.
Quanquam enim, si alteri promitto, me Titum heredem
effecturum, hic non ex pacto, cui non accessit, sed vel ex te
flamento vel ex lege mihi succedat, nihilominus pacto ob
stringor, huic et non aliis hereditatem deferendi. Hæc vero
ultima voluntas, quod non sit libera, certissimum, cum à
pacto resilire non amplius possim. Omnis vero coactio pla
ne repugnat natura ultimarum voluntatum, quæ semper li
beræ esse, neque ab alterius arbitrio pendere debent. a) Tel

D

statores enim deferunt hereditates ob merita. b) Pacta at-
tem, quæ libertatem ultimârum voluntatum constringunt, sunt
contra bonos mores atque ita inutilia c) (§. 24.).

- a) L. 1. C. de S. S. Eccles. L. 1. D. qui testam. fac. L. 32. pr.
D. de hered. instit. „ testamentorum iura ipsa per se fir-
ma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere.“ L. 15. C.
de pact. ubi: „neque libertatem testamenti faciendi potuit afferre
„(pactum sc.)“ L. 52. §. 9. D. pro soc. „ nec liber-
tatem de supremis iudiciis constringere quis poterit.“
- b) L. 9. D. pro soc. L. 16. §. 1. D. de castr. pecul.
- c) L. 61. D. de V. O. L. 4. C. de inutl. stipul. Stryk l. c. Cap.
XII. §. 31. sequ.

§. 40.

Obstare videtur L. 132. pr. D. de V. O. a) unde ICti qui-
dam valorem pactorum dispositivorum derivare cupiunt di-
cta L. duos continent casus, quos proponamus:

i.) „ Quidam filium alienum legitime adoptavit, patri eius
„ promittens certam pecuniaē quantitatē, si eum aliter,
„ quam ut filium observasset. Pater adoptans exhereditat ad-
optivum, quæritur: num stipulatio fuerit commissa? Ne-
quaquam: tanquam filium eum habuit, quem exheredare
et emancipare licet sub terminis quidem habilibus, sed de
inofficio agat filius adoptivus, et quidem exheredatus,
„ respondet Paullus.“

Inde dissentientes colligunt, filio adoptivo per pactum in-
ter patrem suum naturalem et adoptivum ius successionis or-
tum esse, cum querela inofficio ei competit. Sed hæc que-
rela non competit ex illa stipulatione, sed sequitur ex adoptio-
ne, quæ ius successionis tribuit, dum adoptans ex iure qui-
dem veteri sine distinctione in potestate patris adoptivi tran-
ferit eiusque heres suus factus sit. b) Lex igitur principaliter

de adoptione et nonnihil per consequentiam de successione agit c). Secundus casus in d. L. memoratus hic est:

a) „ Quidam filium alienum suscepit (non adoptavit, sed „ tanquam alumnum domi recepit), iuncta eadem, quam nar- „ vi, stipulatione: si eum aliter quam ut filium observasset.”

Hic de iure successionis per hanc sc. stipulationem quæsito nihil proponi, nulla indiget probatione, cum ex hereditate in extraneo, qualis est suscepitus, sit res inepta.

a) „ Quidam, cum alienum filium susciperet, tradenti promiserat „ certam pecuniaæ quantitatem, si eum aliter, quam ut filium ob- „ servasset: quæro, si postmodum domo eum propulerit, vel mo- „ riens nihil ei testamento reliquerit, an stipulatio committatur; „ & quid interficit, utrum filius, an alumnus vel cognatus agentis „ fuerit? Præterea quæro, si filium suum quis legitime in adoptio- „ nem dederit, & ita ut supra scriptum est, stipulatio intercesserit, „ eumque pater adoptivus exheredaverit vel emancipaverit: an „ stipulatio committatur? Respondi: Stipulatio utilis est in utro- „ que casu: igitur si contra conventionem factum sit, committetur „ stipulatio. Sed videamus primum in eo, qui legitime adoptavit, „ an possit committi, si eum exheredaverit vel emancipaverit? Hæc „ enim pater circa filium solet facere: igitur non aliter eum, quam „ ut filium observavat. Ergo exheredatus de inofficio agat. „ Quid ergo dicemus, si & merit exheredari? Emancipatus plane „ & hoc remedio carebit. Quare sic debuit interponi stipulatio, „ ut, si eum exheredasset vel emancipasset, certum quid promitte- „ ret. Quo tamen casu promissa stipulatione potest quæri, an ex- „ heredato permittendum esset, dicere de inofficio; maxime, „ si patri naturali heres extitisset: an victo deneganda est ex stipu- „ latu actio? Sed si ei, qui stipulatus est, non debuit denegari: „ victo filio nec ipsi deneganda erit debita pecuniaæ executio. „ In eo autem, qui non adoptavit, quem intellectum habeat hæc „ conceptio: si eum aliter, quam ut filium observasset, non pro-

„spicio: an & hic exigimus exheredationem vel emancipationem,
 „res in extraneo ineptas? Sed si is, qui legitime adoptavit,
 „nihil facit contra verba stipulationis, cum utitur patrio iure:
 „in eo, qui haec non fecit, dicit supervacuo. Dici tamen poterit
 „commisam esse stipulationem.

b) Hofaker l. c. §. 605.

c) Hebstreit l. c. Cap. III. §. 32. cf. Stryk l. c. Cap. XII.
 §. 26. qui existimat, stipulationem in Legi. cit. non spectare acquisitionem iuris succedendi, sed potius id, ne filius adoptatus in iuria exheredationis notetur (v. §. 43.)

§. 41.

Pactis affirmativis, quoad valorem ex iure romano satis decantatis, pergo ad

II.) *Pacta negativa seu renunciativa* (§. 13.), quibus successioni in hereditatem alterius alias obventura renunciantur. Haec prorsus invalida esse, tum naturalis ratio docet, tum leges clarissimæ testantur.

§. 42.

Uti supra (§. 16.) dictum est, pacta, quæ vulgo conservativa appellantur, ideo non valere, quod ius, quod nondum competit, nullo modo conservari potest, ita è contrario dicendum; non potest renunciari iuri, quod nondum existit. (supr. v. §. 16., ubi latius deductum est, nullum in hereditatem viventis ius competere posse, cum nulla eius detur successio). Quare si nulla sit hereditas viventis, nescio, quemadmodum ei renunciari possit a). Omnis ergo renunciatio, vivo eo, facta, de cuius hereditate agitur, nullius momenti est b), ideo in primis, quod est actus plane superfluus, dum is, de cuius hereditate agitur, omnem spem renunciantis per ultimam voluntatem everttere possit, neque ideo pacto opus sit, ubi ulti-

ma voluntas sufficit. Sed contradixerit quis forte, renuncia-
tio multum differt à repudiatione; atqui leges not. a et b) ci-
tate de hac tantum agunt, ergo nullo modo hūc pertinent.
Resp. Evidem scio, multum esse discrimen inter renuncia-
tionem et repudiationem; illa cadit in hereditatem nondum
delatam, hæc tantum in delatam: sed lex tractat repudiationem
hereditatis viventis; talis naturā suā nondum delata est. Re-
pudiatio vero nonnisi est hereditatis delata c) si igitur lex de
repudiatione hereditatis viventis loquatur, debet intelligi de re-
nunciatione.

- a) L. 174. §. 1. D. de R. I. „Quod quis, si velit, habere non potest,
„id repudiare non potest.“
- b) L. 94. D. de acqu. vel. omitt. hered. „Qui superstitis bona repu-
„diat, post mortem ejus adire hereditatem, item bonorum pos-
„fessionem petere non prohibetur.“
- c) Hofaker §. 1469. I.) Hac ratione differt repudiatio à renun-
ciatione.

§. 43.

Porro pactis renunciatiis obstant
 1.) L. 35. §. 1. C. de inoff. testam.
 2.) L. ult. D. de suis et legit. hered. et
 3.) L. 3. C. de collat.
 verūtamen haud sine magna contentione dissentientium,
 inter quos eminet Stryk a), qui d. LL. in suas partes trahere
 conatur. Sed præmittamus textus: 1.) L. 35. §. 1. C. de in-
 off. testam.

„ Illud etiam sancimus, ut, si quis à patre certas res vel
 „ pecunias accepisset et pactus fuisset, quatenus de inofficiofo
 „ querela adversus testamentum paternum minime ab eo mo-
 „ veretur, et post obitum patris filius, cognito paterno testa-
 „ mento, non agnoverit eius iudicium, sed oppugnandum
 „ putaverit, veteri iurgio exploso, huiusmodi pacta filium

.. minime gravari, secundum Papiniani responsum, in quo
 .. definitur, meritis magis filios ad paterna obsequia provo-
 .. cando, quam pactionibus adstringendos. Sed hoc ita ad-
 .. mittimus, nisi transactiones ad heredes paternos filius ce-
 .. lebraverit, in quibus apertissime iudicium patris agnoverit.”
 Filius, qui certas res à patre accepit, ne de inofficio agat,
 idque per pactum promisit, non arcetur à querela inofficii
 testamenti, quam vult instituere, sed licet ei, quanquam con-
 tra pactus fuerit, iudicium patris oppugnare. Renunciationes
 querelæ inofficii, atque ita per consequentiam hereditatis
 ipsius pacto expressas h̄ic improbari, nullum fugit. Sed Stryk
 b) dissentit in eo, quod dicat: „aliud esse, querelæ inofficii
 .. renunciare, aliud hereditati, et qui illi renunciat, huic fi-
 .. mul renunciaſſe non videtur “ hisce usus argumentis: Pa-
 ctum de non movenda querela inoff. ideo inutile est, quod
 exhereditatio est iniuria, quatenus fit contra officium pietatis;
 querela igitur inoff. tanquam remedium contra iniuriam ex-
 hereditationem est *species actionis iniuriarum*, nullo autem pa-
 cto effici potest, ne iniuriæ, futuræ fc., agatur, unde constat,
 non licere pacifici de non movenda querela, quatenus est actio
 iniuriarum. Ad quæ momenta ita respondendum puto: si
 agitur de eruendo fensu, quo notionem verbi accipere debe-
 mus, sanioris interpretationis regulæ exigunt, ut existimemus,
 auctorem ea significatione usum fuisse, quæ ex indole notio-
 nis facillime emanat, ideoque magis usurpatum, eumque fi-
 nem magis respexisse, qui plerūmque intenditur, et qui po-
 tiores effectus producit. Querela autem inoff. quanam, quæ-
 so, intentione principaliter movetur? quænam est maior vis,
 quænam efficacia eius præpollens? Num forte illa, ut iniuria
 ex exhereditatione orta vindicetur? amon potius, ut testamen-
 tum tanquam contra officium pietatis factum evertatur, res-
 que ad caußam intestati redeat? Pro hac quidem intentione
 querelæ inoff. fortiorē militare præsumptionem, mihi fal-
 tem persuasum est, quod præfertim tunc obtinet, quando ius

vetusius attendamus: querela enim inoffic. testam. in figmento furoris testatoris prima invenit incunabula c); Furiosus autem iniuriam inferre non censetur d). Quæ cum ita sint, legem laudatam rectius ita intelligi arbitror, quasi egerit de querela inoff. testam. non tanquam *actione iniuriarum*, sed tanquam *hereditatis petitione*, qualem defendunt Vinnius e) Lauterbach f) et Hofaker g). Cum vero d. l. pactum de non movenda querela aperte improbarit, eo ipso pacta quoque proscriptis, quibus hereditati renunciat: nam, qui actioni renuncians nihil agit, rem ipsam petere nunquam prohibebitur, ex hac quidem caussa. h)

a) 1. c. Cap. XII. §. 40. seq.

b) 1. c. §. 44.

c) Hofaker 1. c. §. 1691.

d) Hofaker Tom. III. §. 3016. Lit. A.)

e) ad pr. I. de inoff. testam. nr. 6. & in quest. Sel. L. I. cap. XIX.

f) in Coll. theor. pract. ad tit. D. de inoff. testam. nr. 7. 8. 9.

g) 1. c. §. 1690.

h) conf. Hebeleit Diff. cit. Cap. III. §. 37.

§. 44.

Ceteræ leges, quas pro nobis adduximus, sc.

2) L. ult. D. de suis et legit. hered. et

3) L. 3. C. de collat.

tam aperte pactum reiiciunt, in quo filia hereditati paternæ renunciat, ut omni alii supercedentes explicationi ipsa LL. verba tantum proferre, satis ducamus.

Prioris hæc sunt verba :

„ Pater instrumento dotali comprehendit filiam: ita do-
„ tem accepisse, ne quid aliud ex hereditate patris spe-
„ raret. Eam scripturam ius successionis non mutasse
„ constitit: privatorum enim canticionem legum auctori-
„ tate non censi.

Quod firmatur Lege Cod., hunc in modum:
 Pactum dotali instrumento comprehensum, ut conten-
 ta dote, quæ in matrimonio collocabatur, nullum ad
 bona paterna regressum haberet, iuris auctoritate im-
 probatur, nec intestato patri succedere ea ratione pro-
 hibetur. Dotem sane, quam accepit, fratribus, qui
 in potestate manserunt, conferre debet.,, a)

a) Hebestreit l. c. §. 36., qui eandem tuetur opinionem, quic-
 quid acutissime quidem dixerit Stryk l. c. C. XII. §. 45. 46. —
 cf. Kesseler D. de pactis circa success. Cap. IV. nr. VI.

§. 45.

Ut denique valorem tertiae speciei pactorum universalium
 de hereditate propria, *mixtorum* (§. 14.) in trutinam vocemus,
 vix operæ pretium esse videtur. Quid enim clariss, quam
 quod, cum pacta affirmativa et negativa sint nulla, *mixta*, quæ
 sc. utriusque natura sunt conflata, eodem censu veniant?

§. 46.

Satis dixisse videor de pactis super hereditate *própria* pa-
 cipientium, probaturus, pactis hereditatem neque deferri,
 neque iis unquam ius successionis mutari. Sed fieri potest, ut
 de hereditate *viventis non compacientis* paciscamur, non qua-
 tenus sit deferenda, sed potius in casum, quando fuerit iam
 delata (§. 19.). Inter leges complures, quæ huc vulgo
 referuntur L. 7. §. 18. D. de pact. minus huc pertinere videtur,
 quum de pacto agat, quod de hereditate *iam delata* initur, *non*
de hereditate viventis, in casum, si effet delata, quod tamen ur-
 gemus. Nam in d. L. „heres suus de hereditate paciscitur
 „antequam huic sele immiscuerit.“ Certe hic supponitur he-
 reditas *iam delata*: immixtio enim est acquisitio hereditatis ab
 herede suo facta cum effectu, ut non amplius licet absinere,
 nulla vero hereditas acquiritur, nisi sit delata. Lex igitur,

si nostras spectaret partes, non dixerit: „*antequam — — immiscuerit*,“ sed potius: „*antequam hereditas fuerit delata.*“ Si quæstio incidit, quid sit iuris circa hæc pacta super hereditatem tertii inita, quando ad unum vel alterum pacifcentium fuerit delata? ipsæ leges Romanæ solvunt eam, distinguentes inter hereditatem tertii *certi et incerti*.

§. 47.

Tertius, si est *incertus*, leges earumque interpretes in approbandis pactis de eius hereditate futura mirifice convenient: L. 3. §. 1. et 2. D. pro. soc. a) L. 73. D. eod. b). Si enim communio omnium bonorum per societatem sit stabilita, eo ipso hereditas, quæ uni pacifcentium vel alteri obventura est, ut sit communis, hoc pacto efficitur. Ergo contractus societatis universalis tacitum continent pactum, de hereditate quacunque socio delata in societatem inferenda c), quod non immerto pactum de hereditate tertii initum appellaveris. Quia vero in contrahenda tali societate *hereditatis simpliciter* mentio abfit, sine respectu ad hereditatem *certæ cuiusdam personæ*, ab unde liquet, pactum fieri de hereditate incerti, quod igitur hac ex ratione omnino probatur d).

a) „§. 1. Cum specialiter omnium bonorum societas coita est, tunc „& hereditas, & legatum, & quod donatum est, aut quaqua ratione acquisitum, communioni acquiretur.“ §. 2. „De illo quæritur, si ita societas, ut si quæ iusta hereditas alterutri obvenierit, communis fit, quæ iusta hereditas? utrum quæ iure legitimo obvenit, an etiam ea, quæ testamento? Et probabilius est, ad legitimam hereditatem tantum hoc pertinere.“

b) „Si societatem universarum fortunarum coierint, id est, earum quoque rerum, quæ postea cuique adquirentur, hereditatem cuivis eorum delatam, in commune redigendam.“

c) Hofaker l. c. Tom. III. §. 2003. lit. A.

d) Hebestreit l. c. Cap. III. §. 41. Stryk l. c. Cap. XII. §. 15.
 Kesseler D. de pact. circa succesi. Cap. III. §. 2. pr. Hahn D.
 de pact. futur. succesi. Cap. II. §. 2. Hofaker l. c. Tom. II.
 §. 1400.

§. 48.

Contra si tertius est *certus*, nonnisi distinguendo procedere licet. Nam res in eo vertitur, num tertius ille certus pacto super hereditate sua initio *confusum præbuerit*, et hanc voluntatem usque ad extremum vite *halitum servarit*, an pacti sit *ignarus*, vel pactum initum fuerit, eo quidem sciente, sed invito. Priori casu Iustinianus a) expresse statuit, ut pacta valerent, hunc in modum: „ nisi ipse forte, de cuius hereditate te pactum est, voluntatem suam iis accommodaverit et in ea usque ad extremum vite sue spatium perseveraverit. “ Idem probatur aliis legibus, argumento à contrario ducto b). Posteriori vero casu Imperator noster d. I. pacta de hereditate tertii certi, s. ignari, s. scientis quidem sed inviti „ tanquam odiosa et plena tristissimi et periculosis eventus“ damnat; „ quare enim, pergit Legislator, quodam vivente et ignorantе de rebus eius quidam pacientes convenienter Secundum veteres itaque regulas fancimus, omnimodo huiusmodi pacta, quae contra bonos mores inita sunt, repellendi, et nihil ex his pactionibus observari; cum in alienis rebus contra domini voluntatem aliquid fieri vel pacisci, certa temporum nostrorum non patiatur. “ Ita ut fiscus hereditatem quando pacienti obtigerit, afferat. c)

a) in L. ult. C. de pact.

b) L. 2. §. 3. D. de his, quae ut indign. L. 29. §. 2. D. de donat. L. 2. §. 2. D. de vulg. & pupill. substit. L. 27. §. 4. D. ad S. C. Trebell. — Stryk l. c. Cap. XII. §. 14. Hebestreit l. c. §. 42.

c) d. L. 2. §. 3. D. de his, quae ut indign.

§. 49.

Quibus vero rationibus motus Imperator Iustinianus distinxit ita inter pacta de hereditate tertii incerti et certi, et denuo huius, prout consensit, aut prout ignarus est vel invitus, dispiciendum adhuc est. Plurumque votum mortis captandæ allegant ICti, tanquam rationem, cur de hereditate incerti pacisci liceat, cum suspicio infidiarum vitæ tertii fruendarum nonnisi habeat locum, quando is, de cuius hereditate agitur, persona certa atque nominata est. a) Facillime hoc concedi posset, si Iustinianus absolute et simpliciter pacta de hereditate tertii certi prohibueret, sed plusquam manifestum est, eum approbase illa, si tertius certus consensum pacto præbuerit, et in hac mente usque ad mortem persisterit (§. præced.) Quare si votum mortis captandæ tanquam fundamentum disfunctionis cæsareae, atque ita qua rationem prohibitivam allegatur velis, non potes non probare, consensu tertii tolli illum presumptionem mortis captandæ, id, quod contendunt ICti citati not. a) b) quam lubricum sit hoc argumentum, evincere licet. Immo persuasum habeo, non modo non idem periculum infidiarum adesse, sed vel maius instare, si tertius consentiat, quam si sit ignarus seu invitus. Cum enim in voluntate sua usque ad mortem perseverare debeat, ne pactum intercidat c), pacientes mortem eius eo magis accelerare presumuntur, quo magis periculum instat, quin, vivo tertio, pacta per revocationem voluntatis huius prorsus inania efficiantur d). Num, quæso, eo probetur, quod tertius bona fide omnisque suspicionis expers pacto consenserit, pacientes minime suspectos nullas moliri infidias, omnemque ergo metum spernendum esse? Illum tertium calidissimum semper hoc casu fingas, necesse est: qualém tamen nihilominus fraudibus obnoxium esse, vita communis testatur. Ut taceam, quod omnis ferre ultima voluntas, in primis vero mortis causa donatio, atque substitutio pupillaris è medio esset tollenda, quippe quæ

votum mortis captandæ alterius gignit, sed nihilominus optimo iure toleratur. e) Inde sequitur, votum mortis captandæ tertii non potuisse movere Iustinianum, ad profligenda pacta de hereditate tertii certi ignari s. inviti, recipienda vero, tertio consentiente. Satis enim probasse videor, per consensum tertii hoc votum non modo non tolli, sed potius excitari; quare si votum mortis captandæ tertii esset vera ratio prohibitiva, Iustinianus etiam pacta consensu tertii firmata improbabasset, quod tamen minime fecit.

- a) Stryk l. c. Cap. XII. §. 15. Hebestreit l. c. Cap. IV. §. 54. Streker D. de doctr. succ. pact. membr. I. §. 9.
- b) Stryk l. c. §. 9. 10. 14. Hebestreit l. c. Streker l. c.
- c) L. ult. C. de pact.
- d) Hebestreit l. c. §. 52. nr. II.) IV.) §. 47. nr. II.) qui vero in §. 54. verbis suis anterioribus contradicit: „præsumptionem mortis „captandæ tertii evanescere, ait, quando tertius consentit, nam „consensurus non foret, si minimam de improba paciscentium intentione suspicionem posset concipere.“
- e) Hebestreit l. c. §. 52. nr. II. Stryk l. c. Cap. XII. §. 9. (v. supra §. 22.)

§. 50.

Aliam igitur rationem decisionis Iustiniani exquirere oportet, quæ mihi quidem sollicitudo de hereditate tertii certi viventis, et quidem ignari vel inviti a) esse videtur; talis enim est improba b) et contra bonos mores c). Hæc vero turpitudo tollitur consensu tertii per verba expressa Imperatoris d): „cum in alienis rebus contra voluntatem domini aliquid fieri vel pacisci, secta nostrorum temporum non patiatur.“ e) Adde, quod intentio ejus, de cuius hereditate agitur, hunc vel illum heredem habendi, per pactum super hereditate eius ignorantis initum plane defraudari atque elidi possit; quod, si scivisset vel prævidisset, alii forte, quam paciscenti hereditatem suam detulisset.

- a) d. L. ult. C. „quare enim, quodam vivente & ignorantе de rebus eius quidam pacientes conveniunt?“
- b) L. 2. §. 2. D. de vulg. & pupill. subst. L. 27. §. 4. ad S. C. Trebell.
- c) d. L. ult. C. „omnimodo huiusmodi pacta, quae contra bonos mores inita sunt, repelli.“
- d) in L. cit. C. in fin.
- e) Stryk Cap. XII. §. 9. & 10.

Pars II.

De successione pactitia singulari eiusque aestimatione secundum Ius romanum.

§. 51.

Pactis de successione universali omnibus numeris absolutis, probatisque pro viribus causis, cur Romanis displicuerunt, ad alteram opusculi partem transimus, quae agit de pactis successionem singularem inferentibus, eorumque iure ex Romanorum disciplina. Duæ hic occurunt quæstiones:

I.) quid intelligitur pactis successorii singularibus?

II.) an valeant, nec ne?

Prima quidem excussa, secundam affirmare audeo; nam existentiam atque valorem horum pactorum tum ex natura successionis singularis (§. 7.), tum eo probabo, quod species pactorum in republica Romana frequentium allegem, quae, quamvis alio nomine prædita, pacta tamen successoria singularia iuste vocanda sunt, quia successio singularis revera per ea datur.

§. 52.

Explicata notione successionis singularis, quatenus differt

ab universalis (§. 7.), primum quæritur: quid intelligitur pacto successorio singulari? Est sc. *pactum de futura successione in rem singularem compacifcentis initum.*

Hæc pacta sunt vel *acquisitiva*, vel *restitutiva*:

I) *Acquisitiya tunc sicut, si unus pacientium alteri rem singularem sive per contractum sive per pactum promittit, ita ut dies statim cedat, i. e. obligatio nascatur, sed demum veniat post mortem promissoris, i. e. exactio rei promissæ ab herede et contra heredem promittentis incipiat. a)*

II) *Restitutiva tunc celebrantur si unus alteri rem singularem post mortem suam preßlandam ea lege pollicetur, ut accipiens eam post certum tempus (ex. gr. post mortem) tertio restituat.*

a) L. un. C. ut act. ab hered. Hahn I. c. S. II. §. 3; Peyer I. c. Cap. III. nr. 5.

§. 53.

Eiusmodi pacta omnino valere, duplice modo probari potest, uti dictum (§. 51.)

I) ex *genuina indole* talium pactorum: rationes enim, quæ pactis obstant iuris successionem tribuentibus, his minimè contrariantur. Si pacta constituta sunt de re particulari, tunc succedens pro singulari successor habet a): *successionem vero singularem ex pacto dari, non contra bonos mores; nullus enim latitat dolus malus* (uti in casu §. 29. expposito). Nam successor singularis creditoribus hereditariis haud tenetur, cum non sit heres, neque ergo defunctum representet. b)

a) Stryk I. c. Cap. V. §. 29. Peyer I. c. Cap. VI. nr. 7. Hahn I. c. S. II. Cap. I. §. 31. inf.

b) L. 15. C. de donat. L. 7. C. de hered. act. L. 27. C. L. 72. pr. D. de iure dot. Lauterbach I. c. ad tit. D. de leg. & fideicommiss. §. 37. Hofaker I. c. §. 999. & §. 1449.

§. 54.

*Alterum probandi medium co*n*hibis suppeditatur,*

II) quod non difficile est, plures pactorum species enumera-
rato, quibus æque successio singularis datur, ac de iure sunt
licita.

A.) *Omnis enim donatio inter vivos, cuius præstatio in tempus
mortis donatoris dilata est, revera pactum singulare acquisitivum
successorium est, quo pertinet quoque*

B.) *pactum de lucranda dote vel donatione propter nuptias ini-
tum; quod utrumque pactum acquisitivum, si sub modo, ut
restituatur res singularis, fiat, in exemplum*

C.) *pacti successorii singularis restitutivi abit.
Propius hæc tria pacta ad animum revocare lubet, ut talis
eorum natura appareat, qualem laudavi.*

§. 55.

A.) *Donatio est rei datio vel promissio, ex mera liberalitate
facta. a) Quare duplici modo sunt donationes vel traditione
vel promissione vi pacti interpositi. b) In posteriori tantum ge-
nere donationum morari liceat; talis donatio fit per pactum c),
quo unus alteri rem donat, isque acceptat, ita ut donatario
ius ex pacto oriatur, præstationem rei donatae exigendi. d)
Ad tempus, si respiciamus, quo exactionem rei promissæ fieri
conventum est, dies potest venire ante vel post mortem dona-
toris. e) Hoc casu, donatio neutiquam degenerat in talem
mortis caussa, sed est et manet inter vivos. Omnis enim do-
natio, quæ, vivo donante, irrevocabiliter perfecta est, inter
vivos, non mortis caussa esse censetur, etiam si sit morien-
tis f), vel mentio mortis fiat, fine animo quidem perfectio-
nen donationis eo suspendendi, sed potius temporis demon-
strandi caussa, quo res præstari debet. g) Nam tempus dif-
ferendæ solutionis caussa adiectum ad substantiam donationis
non pertinet, erit igitur donatio inter vivos: Si Tito cen-
sum donavero, post mortem præstanda,, h) quia non ipsa do-
natio, sed tantum eius executio in mortem confertur. i) In*

tali igitur donatione heres donantis in obligationem tradendi succedit, *a*)

a) Hofaker l. c. §. 987.

b) Ulteriori donationum divisioni in tales inter vivos & mortis cauſſa merito acquiesco, cum hae à fine proposito longe abhorreant, (sunt enim tanquam ultimæ voluntates semper revocabiles) illæ vero, quas nos attendimus, iure pactorum irrevocabile ius donatario tribuant. v. Vinnius ad §. 2. I. de donat. in pr. Frommann D. differ. primar. donat. simpl. & mort. cauſſ. th. I. 2. th. 36. 44.

c) aqua voce sensu generaliori contractus, speciatim stipulationem, hic comprehendeo.

d) Hofaker l. c. §. 997. Frommann D. cit. th. 37.

e) Hofaker l. c. §. 1008.

f) L. 42. §. 1. D. de mort. cauſſ. donat. Frommann l. c. th. I. th. 32. Vinnius quæſt. fel. L. II. c. 34. Lauterbach ad tit. D. demort. cauſſ. donat. §. 28.

g) Mevius ad Ius lub. L. I. tit. 6.

h) Vinnius ad §. 2. I. de donat. nr. I. Lauterbach l. c. §. 27.

i) Lauterbach l. c. §. 32. Perez ad h. t. C. nr. 2.

k) L. 17. §. 3. D. de pact. „Si quis pacificatur, ne d se petatur, (sed „ut ab herede petatur); heredi exceptio non proderit.“ L. 35. §. 5. in f. C. de donat. L. 3. C. eod. arg. L. 9. D. de probat. Frommann l. c. th. 38. Lauterbach ad tit. D. de donat. §. 38. Hofaker l. c. §. 998.

§. 56.

Nec interest, utrum quis rem particularem, an partem bonorum, an omnia bona ita donet, ut præſtentur ab herede *a*). Donatio enim vel omnium bonorum inter vivos facta secundum veriorem sententiam omnino valet *b*). Quanquam plu-

plurimi olim ICti eam reiecerint, ideo quod libertas et facultas testandi tali pacto afferatur, idque contra bonos mores fit, cum donator tempore mortis nihil habeat, de quo testari possit, omnibus bonis tam praesentibus, tum futuris in obligationem deductis. Hoc argumentum fatis refellitur ab ICtis not. b) laudatis; Nam eodem modo is, qui omnia bona sensim sensimque perdit, quotidie erogando atque donando, ita ut denique nihil superfit tempore mortis, inutiliter donasset, si facultate testandi excidisset, non secus ac ille, qui omnia bona sua vivus dilapidavit c). Alioquin et omnes pauperes aut obserati facultate testandi carerent, quos tamen testari et heredem habere, certissimum est d). Neque in genere dicendum, donatorem potestatem testandi i. e. instituendi et habendi heredem sibi adimere; si quis enim omnia sua bona ita donat, ut eorum præstatio ab herede demum fiat, talem scribere potest in testamento, qui in obligationes defuncti sucedens bona donatario tradere ex facto defuncti tenetur e). Hæc sufficient ad eliminandos errorēs antiquioris ævi.

a) Harpprecht D. de fideicomm. convent. th. 32. nr. 241.

b) L. 35. §. 4. C. de donat. L. 8. C. de revoc. donat. L. 5. C. de inoff. donat. L. 17. §. 1. D. quæ in fraud. credit. Frommann l. c. th. 29. Lauterbach ad h. t. D. §. 31. Leyfer med. ad D. spec. 433. med. 2. Hofaker §. 990.

c) cf. Hebestreit l. c. Cap. III. §. 25.

d) L. 42. D. de hered. instit. §. 1. I. de hered. qualit. L. 22. §. 14. C. de iur. delib. L. 3. pr. & §. 1. D. ad leg. Falcid. Stryk l. c. Cap. XII. §. 30.

e) Perez ad tit. C. de donat. §. 19. Carpzow Ipd. for. P. II. C. 12. D. 28. hisce usus verbis: „non enim facit, nec facere „potest donatio, quin donator heredem habere possit, saltem in „iuribus passivis, quæ non possunt venire in donationem.“

Donatarius, sive certa rei, sive omnium honorum, cum succedat tantum in res singulares, non juris successor est, unde creditoribus hereditariis non tenetur a). Cum vero contra æquitatem esset, si creditores per talem donationem omnium honorum deciperentur, LL. nec non eorum sacerdotes statuerunt, talem iniqutitatem sublaturi, „nulla bona intelligi, nisi deducto ære alieno” b). Quare in donatione omnium honorum id tantum donatario cedit, quod supereft, dimissis creditoribus hereditariis c).

- a) v. L. L. in §. 56. not. b) citatas. Hofaker §. 999. Frommann d. D. th. 29. Lauterbach ad h. t. D. §. 40. Leyfer spec. 494. med. 2. Peyer l. c. Cap. VI. §. 7.
- b) L. 39. §. 1. D. de V. S. L. 9. D. de leg. 2. L. 72. pr. D. de §. 4. L. 104. §. 7. D. de leg. 1. L. 6. C. de collat. L. 8. in pr. C. de bonis, quæ liber. Adde Auctores gravissimos not. a) laudatos.
- c) L. 12. D. de donat.

§. 58.

Donatarius igitur, qualem hucusque descripsi, *quum sit successor singularis, talis est ex pacto*, cum per donationem, interposita stipulatione vel pacto legitimo, rite acceptatam donatario ius nascatur, heredem defuncti ad praestandam rem donatam conveniendi. Si donatarius, qualis placuit nobis, *successor singularis ex pacto sit*, non video, cur pactum ipsum non sit verum pactum successorium singulare acquisitivum, quod sit, quando per pactum donationis inter vivos super successione aliqua particulari aliquid disponatur, ita ut eiusmodi donatio post mortem donantis effectum fortiri debeat. (§. 52.) a)

- a) Hahn D. de pact. futur. successi. inducent. S. II. Cap. I. §. 5.

Æquali iure huc pertinet

B) *Pactum de lucranda dote vel donatione propter nuptias initium*, inter Romanos quidem frequentissimum. Dote sc. constituta, coniugibus de hac pacisci omnino licuit, ita ut maritus superstes, uxore prædefuncta, dotem lucraretur, etiamsi omnia bona uxoris comprehendenderet a) quale pactum lícite interpositum fuisse, Legum congeries testatur b). Qui ita dotem per pactum promissam nancisceretur, non iuris, sed singularis successor fuit c). Eum quasi heredem non conveniri posse à creditoribus hereditariis, respondet Paullus d) (§. 57.) Quod etiam inde probatur, argumento à contrario ducto, quod omnia pacta nuptialia successionem universalem hereditatem inferentia nullitate laborant e). Quare, cum extra dubium sit, Romanos pacta nuptialia celebasse, ea nonnisi singularia fuisse, non opus est demonstratione. Maritus igitur, dum dotem post mortem uxorius lucratus est, eius successor singularis est, et quidem pacitius, cum ex pacto dotali succederit, quod igitur, quatenus ex Romanorum doctrina prodiit, pactum successorum singulare acquisitivum nuncupari fas est. Romani, quum ius æquale in dote ac in donatione propter nuptias statuerint f): pactum de lucranda donatione propt. nupt. ab uxore, præmortuo marito, iisdem regitur principiis, quibus pactum de lucranda dote g); immo si unum sit expressum, hoc alterum tacite continetur. h)

a) L. 72. pr. D. de iur. dot. L. 4. C. eod.

b) L. 2. L. 12. pr. L. 24. L. 26. pr. L. 30. D. de pact. dot. L. 48. D. solut. matrim. L. 6. C. de pact. convent. L. 3. C. de inutil. stipul.

c) Stryk. I. c. Cap. V. §. 4.

d) in d. L. 72.

- e) L. 5. C. de pact. convent. L. 15. C. de pact. Stryk l. c. §. 5.
Hofaker §. 524. I).
- f) Nov. 97. Cap. I.
- g) d. Nov. 97. L. 9. C. de pact. conv. Authentica Aequalitas C. h. t.
- h) Hofaker l. c. §. 478.

§. 60.

Transendum nunc ad pacta successoria, quibus res singularis restituitur; (§. 54.) an et quomodo haec pacta valeant, videndum est.

Tale pactum donationi posse adiici, colligitur ex L. 3. C. de donat., quae sub mod. „Quoties donatio ita perficitur, ut post tempus id, quod donatum, alii restituatur, veteris iuris auctoritate rescriptum est, si is, in quem liberalitatis compendium conferebatur, stipulatus non sit: placidu[m] fide non impleta, ei, qui liberalitatis auctor fuit, vel heredibus eius condicitiæ actionis persecutionem competere. Sed cum postea benigna iuris interpretatione divi principes ei, qui stipulatus non sit, utilem actionem nem iuxta donatoris voluntatem competere admirerint, actio, quæ forori tuæ, si in rebus humanis ageret, competit, petebat, tibi accommodabitur.“

Unus alteri donat rem, ut post tempus tertio restituat; inde tertio, quamvis non stipulatus sit, actionem utilem competere ad condicendam rem à donatario sibi restituendam, Imperatores rescriferunt.

Cum d. L. generaliter de donatione loquatur, neque præcise exprimat, an traditione aut promissione fiat in casu proposito, donatio vero per promissionem ita fieri possit, ut post mortem donatoris demum implementum capiat (§. 55.), nihil impedit, quominus d. L. etiam de tali specie donationis accipiamus, quam tanquam pactum successorium singulare (§. 58.) demonstravimus. Quæ donatio, si ei modus adiicia-

tur, ut donatarius rem donatam post tempus, ut puta mortem suam tertio restituat, (d. L.) eo ipso naturam pacti restitutivi induit, atque ita in pactum successorium singulare restitutivum mutatur. Nolim fideicommissum conventionale appellare, sed affine esse negotium, ipse profitetur Strykius. a) Idem contingere potest circa donationem omnium bonorum dictum in modum factam (§. 56.), ita ut donatarius res donatas quasi fideicommissum tertio restituere teneatur. b)

a) l. c. Cap. IX. §. 12.

b) Harpprecht D. de fideicomm. convent. th. 32. 34. nr. 355. 356.

§. 61.

Pacta dotalia, quæ continentur in §. 59., obligationem restituendi sæpius inculcant, hunc fere in modum: Maritus dotem, et uxor donationem propter nuptias, prædefuncto altero coniuge, ita lucratur, ut post tempus certum vel intero certum, e. c. mortem cognatis coniugis præmortui restituat a).

a) Harpprecht l. c. th. 33. nr. 247. cf. Idem th. 20. nr. 134. seq.

Stryk l. c. Cap. IX. §. 13.

§. 62.

Denique occurrit exemplum eiusmodi pacti in L. 2. C.
 „Si rerum tuarum proprietatem do-
 „de donat, quæ sub mod. „Si rerum tuarum proprietatem do-
 „no dedissi, ita ut post mortem eius, qui accepit, ad te redi-
 „ret, donatio valet: cum etiam ad tempus certum vel in-
 „certum ea fieri potest, lege scilicet, quæ ei imposita est,
 „conservanda. “ Donator stipulatus est, ut res donata post
 „obitum donatarii ad se rediret; Reversivum potius, quam resu-
 „titutivum pactum est, quod etiam in dote vel donatione pro-
 „pter nuptias locum habet, quando pater vel extraneus, qui do-
 „tem dedit, convenerit de recipienda dote vel donatione propter
 „nuptias, matrimonio quovis modo soluto, vel tantum in ca-

sum, si nulli extent liberi a). Hæc pacta *restitutiva*, quæ Harpprecht b) sub titulo *fideicommissorum conventionalium particularium* in suam recepit tutelam, omni iure permitta sunt, quoniam *restitutionem rerum faltem singularium iniungunt*, nullam igitur successionem universalem, sed *tantum singularem tribuunt*, quapropter omnes rationes, quæ *successionem universalem ex pacto annullant* c), hic deficiunt.

a) Harpprecht & Stryk l. in §. præc. c.

b) l. c. th. 30.

c) Harpprecht l. c. th. 31.

Tantum de pactis successoriis ex mente Iurisprudentiaæ Romanæ, præeunte divisione successionis in universalem et singularem.

PRÆNOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. D.

P R A E S E S.

Quod publico examini submisisti specimen perquam eruditum
totum Tuum esse, adeo usque contestor, ut mihi neque de ma-
teria neque de forma quidquam iure vindicare possim. Adgref-
fus es thema arduum et difficillimum. Quilibet lector paululum
attentior facile concedet, laborem Tuum distinguere notionibus
pactorum successorum exactioribus, eorumque enumeratione ad-
modum completa, deinde Te curatius investigasse causas impro-
bationis ex iure romano, immo novas addidisse, ab aliis plane
prætermisas, et e qualitate heredis derivatas, qui tali pacto se
submitteret vago defuncti arbitrio, immo illius fraudi et dolo fu-
turo, quod omnino nature pactorum adversatur. TIBI ita-


que gratulor studia academica tam honorifice peracta, CONSULTISSIMO vero atque DIGNISSIMO DOMINO PATRI de FILIO, talibus virtutibus et bonis artibus instructo, et quosvis ulteriores eventus prosperrimos ex animi sententia adprecor, TUÆ amicitiae et in posterum quam enixissime me commendans.

Kd 1544
(X2258474)

Kd 1544

120

B.I.G.



73

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
CAUSIS IMPROBATI PACTI HEREDITARII
EX IURE ROMANO.

QUAM
AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS AUCTORITATE
PRAESIDE
DOMINO
IULIO FRIDERICO MALBLANC
I. U. D. ET PROF. PUBL. ORDIN., SERENISSIMI WIRTEMBERGIAE
DUCIS CONSILIARIO, H. T. DECANO
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES CAPESSENDI
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
AUCTOR
CAROLUS HENRICUS RHEINWALD
STUTTGARDIENSIS
SUPREMI DICASTERII WIRTEMBERGICI ADVOCATVS.

TUBINGAE D. SEPT. MDCCXCVIII.
TYPIS FUESIANIS.

